



Disputatio theologa in qua modeste disquiritur, quodnam sit Psalmi CXIX subjectum? Pars 1

<https://hdl.handle.net/1874/36166>

19

DISPUTATIO THEOLOGA

In qua modestè disquiritur,

Quodnam sit

Psalmi CXIX. Subiectum?

P A R S P R I O R.

Q U A M

P R A E S I D E

Viro Maximè Reverendo, & Clarissimo,

D. PETRO HOLLEBEEK,

Collegii Theologici Illustr. ac Præpot. D. D.

Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum Re-

gente spectatissimo, Ecclesiæ Lugd.

Bat. Pastore Fidelissimo.

Publica ac placida Disquisitioni subjicit

CHRISTIANUS SITKOVIOUS, Lesnâ Polon.

Ad diem Decembr. horâ. Loco solitô.



LUGDUNI BATAVORUM;

Apud FRANCISCUM HENEMAN, Collegii Theol.

DD. Ord. Holl. & West-Fris. Typographum.

ANNO CL CI CCVIII.

363

Per-Illustribus , Magnificis , ac
Præpotentibus ,

D. D. ORDINIBUS
HOLLANDIÆ
ET
WEST-FRISIÆ,
Veris Patriæ Patribus , Orthodoxæ
Religionis & avitæ Libertatis Propugnato-
ribus strenuissimis ;
Dominis suis munificentissimis.

N E C N O N

Viris Maxime Reverendis & Clarissimis.

D. PETRO HOLLEBEEK , Ecclesiæ Lugd. Batav. Pa-
stori fidelissimo , disertissimo , Collegii Theol. Per-Illu-
strium ac Præpotentum D. D. Ord. Holl. & West-Fris.
Regenti Dignissimo , Præsidi suo Spectatissimo.

D. ROBERTO AEMILIO , Eccl. Lugd. Batav. Pastori
Vigilantissimo , facundissimo , Collegii Ejusdem Pro-Re-
genti Spectatissimo .

Præceptoribus & Fautoribus suis usque colendis.

*Hancce Dissertationem qualemcumque
in publicum grati animi documen-
tum offert.*

CHRISTIANUS SITKOWIUS.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

In qua modestè disquiritur.

Quodnam sit

Psaltri CXIX. Subiectum?

THESIS I.

 Um Iis , quibus propter sua in me merita ,
 Studiorum meorum Deo & Ecclesiæ dicato-
 rum meritò constare debet ratio , Academicum
 aliquod specimen dandum eslet ; neque
 Illis indignum , neque officio meo & condi-
 tioni ablōnum quicquam facturum mihi vi-
 debar , si in Ps. cxix. qualemcumque meam , Bonο cum Deo ,
 collocarem operam . Præcipuum enim , imò verè dixerim
 omne Sacri hujus , & pio non minùs in Deum Affectu , quam
 verbis prolixī Carminis Argumentum plenum & constantem
 amorem erga Legem Dei , proque Ejus Honore & Gloria
 flagrantem animum continet : ut proinde absolutissimum cui-
 vis præbeat Exemplum , ad quod suam in Deum pietatem
 ritè formare , atque sic ad perfectam Beatitatem , quæ in ipso
 Psalmi initio proponitur , feliciter adspirare possit . Hinc In-
 terpretes erudití , qui Psalmum hunc suis Commentariis illu-
 strarunt , à sua cum præstantia & materiae ubertate summo ju-
 re celebrant & frequenti piorum usui commendant .

A

II.

I I.

Idem nuper summa cum Eruditionis laude præstitit *Celerrimus Inclita hujus Academia Professor Salomon van Til*, qui & universum hoc Canticum, prout est Propheticum, juto tempori solidè applicavit, & singularum ejus partium complementa, quæ alii vel cuiquam in V. T. vel Ecclesiæ N. T. vario statui in genere tantum tribuerant, in certis Personis variisque temporum circumstantiis Ecclesiæ Christianæ, ostendit. Lubens proinde, *Viro Clarissimo* me multum debere, fateor, quod mihi opportunam præbuerit occasionem, firmumque monstraverit fundamentum, ut de Psalmi hujus certo sensu ulterius tutiusque meditari mihi licuerit. Præcipue verò, cum quædam potioris momenti partes, nimirum literas 1 / 1 0 / 3 / Apostolo Paulo prorsus convenire, explicatum evidenter dederit; cœpi, Venerandi mei Praesidis in primis consilio adductus, cum animo meo cogitare, annos plura, & forte etiam omnia ad Magni Genitum Doctoris Personam, Vitam & res gestas referri commode possint, simpliciorem pariter ac faciliorem dicti Psalimi clavem forcatus, si unum totius Orationis inveniretur subiectum.

III.

Ne verò desultoriè rem agere videamur, quædam ad Psalmum CXIX. spectantia præmittenda sunt, ut sic ipse ordo sensim nos ad ipsum Dissertationis hujus deducat scopum. *De Psalmi* igitur *Auctore*, cuius nullum præmittitur nomen, primo loco agendum est, sed de quo nobis licet minus esse sollicitis, quia, quicunque ille demum fuerit, de alia potius persona quam de se ipso, illum locutum esse, in progressu patet. Facile verò concesserim, Davidem Psalmum compo- suisse, tum quia egregie conspirat cum Ps. XIX, qui est Davidis, tum, quia prostat exemplum Ps. II, qui, quamvis inscrip-

3

scriptione careat , à Davide tamen certissimè conscriptus est,
quod ex Act. IV. 25. apparet. Sed si vel manifestè consta-
ret, ipsum Davidem Auctorem esse, minimè tamen inde pos-
set evinci , hòc ipso eum de se , & non de alio , loqui , cum
toties in Psalmis videamus contrarium. Imò vel ea ipsa de
causa potuit Vir Dei , licet Psalmi Auctor fuisse credatur ,
consultò nomen suum ei non prefixisse , ne quis , eum de Da-
vide explicandum esse , perperam cogitaret.

IV.

Itaque præcipua jam erit Quæstio , *de vero totius Psalmi
Subjecto*, quisve loquens hic inducatur : quo reperto , plana
fiet omnis illius interpretatio , quæ secus incertiores nos re-
linquet ; planè sicut Æthiops ille , cum locum Es. LIII. à se
perfectum vellet intelligere , omnium primò ex Philippo quæ-
rendum sibi esse rectè existimavit , *de quo istud Propheta dice-
ret , de se ipso , an de alio quopiam ?* Act. VIII. 34. Ad hujus
exemplum dum & nos hic inquirimus in constans aliquod &
perpetuum nostri Psalmi subjectum , id primum tanquam cer-
tum & cuivis facilè obvium supponimus , agi hic de Viro exi-
miè sancto & Zelota Divinæ Legis intensissimo , cuius accen-
sus Divino amore ac ardore animus mira cum significantium
locutionum abundantia describitur , atque non sine novo &
insigni rerum & verborum pondere identidem repetitur. Et
habuit Ecclesia ab omni ævo ejusmodi viros , Dei familiares ,
qui singulari sanctitate præ aliis hominibus ut φωτίης εν κόσ-
μῳ fulserunt. Quanta enim fuerunt Nomina ! *sub Promissione* ,
Enochus , Noachus , Abrahamus , Jobus ; *sub Lege* , Moles ,
Josua , David , Salomo , Elias , Eliseus ; *sub N. T.* Johannes
Baptista , inter Apostolos Petrus , Paulus &c. Similis in Sacra
Historia celebritatis Virum esse oportet , de quo exquisitissi-
ma nostri Psalmi præconia vera sint.

Ac statim quidem disquarentibus nobis David occurrit, qui
 forte, sicut Psalmi Auctor, sic & idem illius posset Subjectum vi-
 deri. Sed non posse nos in eo acquiescere, clare demonstra-
 vit supra laudatus Cel. Tillius. Nam licet maximis Afflictioni-
 bus fuerit obnoxius, non tamen, vel propter suam in Legem Dei
 observantiam, vel a Legis Desertoribus eas percessus fuisse legitur,
 quod verò utrumque in Psalmo non obscure saepius innuitur,
 cum David è contrario plerumque politicis de rationibus &
 Regni causa omnibus illis injuriis fuerit affectus, tum Saulē
 illum propter expectationem Regni odio habente atque per-
 sequente, tum Absolone propter invisam Regni possessionem,
 bellum adversus eum excitante. Præterea nihil ex
 Davidis historia potest adferri, unde patet, eum secundum
 vers: 46. coram Regibus non erabuisse de Testimonis Jehova loqui:
 Saulē Regem David in Ejus aulam admissus, Citharae pul-
 su oblectavit, ac furibundum Ejus Spiritum paulisper re-
 focillavit. 1 Sam. xvii: 23. Verum hoc prorsus nihil facit ad
 Testimonia Dei cum Illo pertractanda: si exterios Reges ejus
 temporis spectes, annon omnes fuerunt dæni? neque cre-
 dendum videtur, quod cum ullo Eorum unquam serio ege-
 rit de Dei testimonius; tantum enim abest ut istud fecerit,
 ut potius coram Rege Achis, metuens ne agnosceretur, a-
 mentiam simulaverit. 1 Sam. xxii: 10. apud Moabitarum Re-
 gem quā de re locutus sit, legere est, 1 Sam. xxii: 2. 3. Ni-
 hil jam attinet cæteros in medium proferre, & simili ratio-
 ne eorum cum hoc Psalmo Convenientiam vel dissimilitudi-
 nem investigare. Quamvis enim facile unum aut alterum ver-
 sum esset reperire, qui Jobo, Abrahamo, Eliæ vel aliis ap-
 plicari benè posset, id tamen hic neutiquam sufficeret, ubi
 plura restarent, quibus nihil in illis Viris responderet. Sed
 præterea alio argumento nos jamjam præstituros putamus, ve-
 rita-

5

ritatem dicti Psalmi sub temporibus demum N. T. quæren-
dam esse.

VI.

Nimirum, præteralia, quæ apud *Coccejum*, *Tillium*, aliosque
videri possunt, non sinit nos de eo dubitare vers: 64. *Gratia*
ira, (יהוָה) *Iehova*, plena est terra. Ubi (α) constat, vocem
non dicere tantum generalem quamvis in homines Beni-
gnitatem & longanimitatem Dei, sed Ejusdem Gratiam gra-
tuitam, & misericordiam, in peccatorum in primis remissione,
quæ cum illa voce sæpissimè conjungitur Exod. xxxiv. 6.
Num. xiv. 19. Deut. vii. 9. Ps. xxv. 6. xxxii. 10. li. 3.
Lxiiii. 4. cxvii. 2. coll. Rom. xv. 9. 10. 11. & in Psal-
mo nostro occurrit v. 124. 159. Clarissimè verò hæc vox de-
notat Gratiam talem, quæ sub N. T. demum plenè manife-
standa erat, quando cum Fœdere æterno conjungitur Es. lv.
3. quem locum Christi Resurrectioni applicat Paulus Act.
xiii. 34. (β) Huac loquendi modum: *Terra plena est Gratia*
vel Gloria Domini, vocationem Gentium & Ecclesiæ Christi
per orbem terrarum extensionem notare, manifestum fit ex
locis similibus; lectu digna sunt Num. xiv. 21. Ps. viii.
1. 10. xlviili. 11. lxxii. 19. Es. vi. 3. xi. 9. quæ indu-
bia sunt Vaticinia, gentiles undique in Ecclesiam reci-
piendos promittentia, & nullo modo ad V. T. pertinere
possunt, quia tum Gloria & Gratia Domini solis Judæis ob-
tigit; aliis populis, qui extra Judæam erant, exclusis Psal.
cxlvii. 19. 20. Gentes non agnoscebant Deum Ps. lxxix.
6. *Nomen Dei inter illos blasphemabatur*, Roma. II. 24. erant
absque Christo & Deo. Eph. II. 12. Neque hic potest excipi,
Davidem hic per Terram potuisse Terram Canaan intellige-
re; tunc enim ipse sibi esset contrarius, quandoquidem in co-
dem hoc Psalmo plures existant querelæ de Judæis, quod à

Præceptis Domini aberrent eaque deserant, v. 21. 126. 136.
139. 158. nullus itaque tunc, nisi valde tenuis, esset illius
dicti sensus. At verò tum verè terra repleta fuit Gratia Je-
hovæ , & quando Nomen Dei plenissimè manifestatum est per
Christum Joh. xvii. 6. & quando adducta est eterna Iustitia
Dan. ix. 24. & quando impletum fuit Euangelium per glo-
riosum Spiritus & Iustitia ministerium 2 Cor. iii. 6-11. confa-
t Tim. iii. 16.

VII.

Videndum jam , an sub N. T. aliquem isthoc Psalmo di-
gnum invenire possimus , in quo minor sit , aut fortè nulla
difficultas. *De ipso Christo hic non est cogitandum* , quia disertè
repugnant v. 5. 10. 67. 133. 176. Sanctissimus noster Serva-
tor ita fuit ab omni malo alienus , *ānax* Heb. vii. 26. ut non
tantum non peccaverit , sed ne peccare quidem potuerit.
Non erravit ergò unquam , multò minus ut *ovis perdita* , ne-
que adeo optasie aut Deum orasse dici potest , ut ne à statu-
tis Dei aliquando defleteret , aut iniquitas ipsi ulla domina-
retur. Ne igitur , quod animus est dicere , multis ambagi-
bus differam , faciamus periculum , *ānon solus Paulus nostræ*
solicitudini satis possit facere ; quod si cognouerimus , facile
circa alios omnis evanescet questio. Ille enim jam quæren-
dus est , cui , non quædam , sed plurima Psalmi convenient ,
& contra quem nihil facilè possit objici , tanquam ei contra-
rium , ut sic tritum illud Philosophorum sequamur monitum:
Talia sunt subjecta , qualia permituntur esse à suis prædicatis. Hinc
porro , quemadmodum Paulum hic consideramus ut potissi-
mum fidelium Christi Servorum Exemplar , 1 Corinth. xi:
1. Philip. III. 17. ita non est quod adversemur , si quis eorum ,
quæ postea Paulo applicabimus , quædam aliis tribuere velit ,
qui Pauli vestigiis institerunt , dum modò Apostolus noster

præ-

7

præcipius habeatur, quem Pl. CXIX. totus repræsentat.
Neque ulla occurrit justa ratio, quæ nobis necessitatem im-
ponat statuendi, diversas in diversis Psalmi partibus personas
loquentes induci; cum (α) ubivis à principio ad finem unus
& unicus loquatur in singulari persona, (β) nullum sit in
Psalmo hujus hominis cum alio comparationis vestigium, ubi
alter altero major aut minor prædicetur: licet, (γ) qui hic lo-
quitur, Vir Dei cum aliis fidelibus id commune habeat, quod
diversis temporibus diversus & multum à se ipso mutatus de-
prehendatur. Quam vicissitudinem sèpè expertus est David,
mox Dei iram, mox Benevolentiam sentiens Pl. xxx. 6.
xxxii. 22. coll. cum antecedentibus & 23. & LXXVII. ubi
Asaphus primò variis in tristitia cogitationibus fluctuat, postea
recordatione mirabilium Dei stabilitur.

VIII.

Neque mirum aut insolitum hoc nostrum institutum cui-
quam videri debet, quasi aliquid agamus, quod pro indeco-
ro, si non indigno Vaticiniis S. Codicis haberi possit, dum
Psalmum aliquem Apostolo vindicamus: nam & de similibus,
& de longè deterioris fortis, imo pessimis & nequissimis ho-
minibus Prophetas cecinisse certum est. Ita Christi patientis
ac morientis inimici atque irratores omnis generis, variæ conditio-
nis, Judæi, gentiles, summi, infimi, sub nominibus Homi-
num, Taurorum, Invencorum, Canum, & Canis cuiusdam $\tau\alpha\tau$
 $\xi\omega\chi\eta\pi$ Pl. XXII. prolixè describuntur. Ipsam illud Scelus
pessimum, ingratus Domini sui Prodigior Iudas, quod ad infan-
dam pariter ejus perfidiam ac poenam insecuram attinet, si-
gnificanter notatur Pl. XL. IO. LXIX. 26. CIX. 8. Zach. XI.
12. cum quibus conf. Math. XXVII. 9. Joh. XIII. 18. Act.
1. 16—20. Si hujusmodi peccatorum Duces Veneratio-
ni

ni Propheticorum Librorum nihil quicquam derogant, quidni tanto Apostolo in iisdem locum concedamus. Quemadmodum insuper alibi Scriptura de Christi Fratrum, Amicorum & Discipulorum vitiis æque ac virtutibus loquitur, tam generatim, quod suum Dominum deseruerint longè fugientes
 Ps. LXIX. 9. LXXXVIII. 9. quam singulatim de Petro Ps.
 LXXXVIII. 19. Zach. XIII. 7. coll. Matth. XXVI. 31. & Marc.
 XVI. 7. de Iohanne Baptista Es. XL. 3. Mal. III. 1. 23.

IX.

Quinimò ipsum Paulum à Prophetis fuisse adumbratum, quidam Eruditi concinnè ostendunt in Es. XLI. 1. 2. 3. quæ explicantur de Vocatione gentium, per *insulas* notatarum, sicuti XLII. 4. & de Pauli itineribus Victoriaque spirituali, quando Viros Principes ad Fidem Christianam perduxit Act. XIII. 12. & Reges de veritate Evangelii convicit Act. XXVI. 28. Insignior verò fuit Pauli Victoria quam Abrahami, cui hunc locum plerique Veteres applicant. Ille namque longè potentiores Principes vicit, quam illi Reges fuerunt ab Hoc superati, qui plerumque singuli unius oppidi Reges fuerunt, (hinc saepe maximus in uno loco eorum fuit numerus, Septuaginta Jud. I. 7. triginta duo 1 Reg. xx. 16.) Suum verò Paulus Triumphum in Christo prædicat Rom. xv. 18. 19. 2 Cor. II. 14. Constituerat enim Dominus Paulum ut *Nomen Christi portaret in Conspectum Gentium & Regum* Act. ix. 15. conf. XXII. 21. XXVI. 16. 17. 18. hinc se ipse vocat *Apostolum & Doctorem Gentium* Rom. XI. 13. 1 Tim. II. 7. 2 Tim. I. II. Tum Ps. LXVIII. 28. Benjamin parvus refertur ad Paulum de qua re prolixè agit Cel. Vitrina Observ. Lib. III. c. 3. num verò hic & Psal. CXIX. 141. sit allusio ad *Pantum* quasi *paululum*, quod concluditur ex contemtu ejus præsentiae 2 Cor. X. 10. non moramur.

Sed

Sed præterea , quod Zach. viii. 23. legitur de Viro ⁹ Judeo ,
cuius aliam decem homines ex omnibus linguis gentium prehensuri ,
cumque eo iuri sint , perspicuè fuit exhibitum in Paulo , quem
sapientia gentes obnoxie rogarunt , ut apud ipsos maneret Do-
ctrinamque Christi eis exponeret , Act. xiii. 42. 43. 44.
48. xviii. 20. xxviii. 14. His itaq; consideratis , ne-
minem malè habere poterit , si eundem Paulum , quem
in aliis locis invenire licet , nos quoque in Ps. cxix. quæ-
ramus.

X.

Nihil ergo prohibetur , quo minus ad ipsum Paulum jam at-
tendamus animos , qui certe tantæ est Dignitatis & Excellen-
tiae , ut nequaquam pigere debeat . Ejus hic habere rationem .
Quanti non fuit Nominis Johannes Baptista Servatoris nostri
Prodromus , quo tunc nemo è mulieribus genitus major fuit
Matth. xi. 11. erat Amicus Sponsi Joh. 11. 29. Sed major e-
rat Johanne Paulus ; tum per cœlestem plane ejus Vocatio-
nem , tum per alias Excellentias . Si ille Christo venien-
ti in mundum viam præparavit ; hic Christo aditum
ad omnes Gentes indefessò labore aperuit . Ille fuit amicus
Sponsi ; Hic officio circa Sponsam Christi strenue functus
est , ut fidus Christi παρεγινυμφος , dum Ecclesiam aptavit
Uni Viro , ut virginem puram sisteret Christo . 2 Cor. xi. 2.
Quam proinde splendidum & honorificum accepit nomen ,
dum à Domino suo Σκεύης εὐλογης appellatus est ! Act. ix.
15. Omnibus Apostolis unus noster Paulus palmam præpri-
puit , ut sine invidia de se ipso profiteri potuerit , se nihil in-
feriorem esse summis Apostolis 2 Cor. xi. 5. imò illis omnibus
πειστορεցον laboraste 1 Cor. xv. 10. fuisse illis omnibus mo-
dis superiorem , εν κόποις πειστορεցως , εν πληγαις οπερβαλ-
λόντως , εν φυλακαις πειστοτέρως 2 Cor. xi. 23. Quid demum

B.

di-

182206

10

dicam de raptu ipsius in tertium usque Cœlum seu Paradisum , ubi audivit ἀρρέντα πνευματα 2 Cor. XII. 2. 4. ad quod fastigium nulla unquam in his terris pervenit humanæ fortis Gloria.

F I N I S.

